Addidit extremo lapides oriente petitos
Et quas oceani refluum mare lavit harenas
Addit et exceptas lune de nocte pruinas
Et strigis infames ipsis cum carnibus alas
Inque virum soliti vultus mutare ferinos
Ambigui prosecta lupi. nec defuit illis
Squamea cinphei tenuis membrana chelindri
Vivacisque iecur cervi. quibus insuper addit
Ora caputque novem cornicis secula passe
His et mille aliis postquam sine nomine rebus
Propositum instruxit. mortali barbara maius
Arenti ramo iam pridem mitis olive
Omnia confudit summisque inmiscuit yma
Ecce vetus calido versatus stipes aeno
Fit viridis primo. nec longo tempore frondes
Induit. et subito gravidis oneratur olivis
At quacumque cavo spumas eiecit aeno
Ignis. et in terram gutte cecidere calentes
Vernat humus. floresque et mollia pabula surgunt
Que simul ac vidit stricto medea recludit
Ense senis iugulum veteremque exire cruorem
Passa replet sucis. Quos postquam conbibit eson
Aut ore acceptos aut vulnere. barba comeque
Canicie posita nigrum rapuere colorem
Pulsa fugit macies abeunt pallorque situsque
Adiectoque cave supplentur corpore ruge
Membraque luxuriant. eson miratur et olim
Ante quater denos hunc se reminiscitur annos
Viderat ex alto tanti miracula monstri
Liber. et admonitus iuvenes nutricibus annos
Posse suis reddi. capit hoc a colchide munus
Neve doli cessent. odium cum coniuge falsum

© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1664/0159